



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. A lobo nos doceri, vt in vtraq[ue] fortuna Deum laudemus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Ad hoc igitur nunc patientiæ amplissimum theatrum mihi adducendi sunt, quotquot vel in campis vulnerati, mutilati, truncati, attriti; vel domi suæ, aut in publico Valerudinario lectulis affixi; vel in pecorum stabulis in stramen abjecti, dolent, gemiscunt, lamentantur. lepra, canero, igne sacro, arthritide, ulcere pulmonum, renum dolore, asthma, febris hectica, marasmus, oculorum, dentium, narium, aurium, capitis malo, aut syncope, vel palpitatione cordis cruciantur. Hic, quasi in nudinis omnia prostant consideranda. Omnia hæc passus est Iob, vir simplex, & rectus, & timens DEVM. Quis se talem audet profiteri? Si in viridi ligao hoc factum est, quid mirum, si fiat in arido? Et quidem nos justè patimur, Iob innocens fuit. Vnde à quibusdam doctis Theologis, ob inuictam patientiam, inter martyres numeratur. Aiunt enim, ad martyrium facis esse, vulnera lethalia accepisse, è quibus naturaliter mors sequeretur, nisi miraculum, aut alia quædam peculiaris ratio obstaret. Sicut etiam, ob Virginis Deiparæ Christo compatientis incredibiles dolores, ab Anselmo, Sophronio, Bernardo, Ildefonso, non solum martyr, sed plus quàm martyr prædicatur. Sanè, si, vt Chrysostomus dixit, *Patientia est, qua martyres facit*, quæ maior potuit esse, inter tot dolores, patientia? An non difficillimum est, in medijs tam multis & magnis tormentis, quæ ad impatientiam, ad iram, ad DEVM mundi rectorem blasphemandum impellunt, ita se continere, vt nihil indecorum, & inhonestum dicatur? *Hoc facit martyrem*, ait S. Chrysostomus. Qua de causa Iobum non solum martyrem appellat ibidem, sed etiam alibi ait, eum sexcentis martyribus grauiora esse passum, ac per omnia rerum genera eluctatum, per diuitias, per liberos, per corpus, per uxorem, per seruos, per amicos, per hostes, per famem, per insomnia, per foetorem, palmam obtinuisse. Et ad populum Antiochenum, Iobum non cum vno tantum martyre, sed cum infinitis audet comparare. Quærat iam aliquis, cur Deus morbos esse permittat? Si per morbos martyres facit, immò, si, per morbos innocentum, nocentes docet morbum suum, tamquam medicinam, patienter tolerare.

Quid ergo per Iobum docet? 1. In vtraque fortuna mun-

Xy 3

VIII.

S. Chrysost. in Psal. 127.

Loc. cit.

Idem. hom. 12 in 2. ad Cor. 1.

Idem. hom. 25. ad pop. Antiochen.

IX.

di

Iob. 1. 21.

di Gubernatorem esse laudandum ac dicendum: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Pertinet enim ad sapientissimum Vniuersi huius Gubernatorem, per omnes occasiones hominem deducere ad finem præstitutum. Quibusdam ostendit viam laboris ac sudoris. His vires relinquit & sanitatem. Quibusdam ostendit viam liberalitatis & eleemosynarum; his dat opes. Sed quia nec sola,

2. Cor. 2. 9.

nec potissima est via hæc, & *virtus in infirmitate perficitur*; ideo alijs, & sæpe illis ipsis aufert opes, vires, sanitatem, vt Conditori suo nõ solùm faciendo, sed patiẽdo quoq; ministrent. Et plerumq; qui ad viã patiendi ambulandam sunt aptiores, eos morbis premit, vt habeant occasionem exercendi virtutes heroicæ,

Iac. 1. 4.

quæ cum *patientia coniunctæ sunt*, quia hæc *opus perfectum habet.* Magnas Iob virtutes exercuit diues, & sanus; sed longè maiores egenus & æger. Itaque & in robusta valetudine Deo seruiamus, & non putemus id satis esse; sed etiam cum Iob, amissa sanitate, dicamus: *Sit nomen Domini benedictum.* EX VTROQUE CÆ-

SAR, ascriptum est imagini illius, vna manu librum, altera gladium tenenti. Ita nos necesse est & in sanitate perfici, & vires comparare, ad difficultates etiam in morbis sustinendas. Quot-

quot enim violenta morte non tolluntur, tandem incidunt in infirmitatem, ad quam subeundam, animo Christiano, necesse est, arma sibi antè comparare. Peritiùs pugnant, in publico, qui se se priùs domi ad palum exercent. Nihili nauta est, qui vult,

tantùm, ridente Phœbo, numquam in pluuijs nauigare. Qui Iobum imitatur, non ob aliquod lucrum, non ob opes, honores, voluptates, sed æquè in morbis, ac delicijs seruit: immò dolores potius ac cruciatus sustinet, vt fidelitatem suam probet. Est enim profectò DEVS talis, vt eum amare debeamus, etiam si nos affli-

gat; cum hoc ipsum faciat ex amore. Et si ex amore non faceret, faceret tamen iure. Hinc illa Demetrii, apud Senecam, vox est: *Quid vis à me, ò DEVS immortalis? Vis aliquam mei corporis partem? sume, non magnam rem promitto: citò relinquam totum*

Vis spiritum? quid ni? nullam moram faciam, què minùs recipias, quod dedisti, à volente feres, quidquid petieris; maluissem offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuisti: sed nec nunc

quidem.

quidem auferes; quia nihil eripitur, nisi venienti; nihil cogor, nihil patior inuitu, non seruo, sed assentio Deo. Immo hæc ipsa est optima seruitus, seruire non inuitum.

2. Docet nos per Iobum Deus, mirabiles quidem esse Sanctos, qui in prosperitate vitæ ei constanter adhærent; longè tamen mirabiliores, si ne aduersis quidem pressi eum deserant; sed, velut vehementi vento afflati pallium magis stringunt & ad se colligunt, ita & illi, quò magis vexantur, & affliguntur, eò magis dicant; *mibi adharere Deo bonum est*. Diffidunt viribus suis, nitiuntur diuinis; quia in eo ipso, quo infirmitates suas fortissimè, nec sine prodigio sustinent, imbecillitates suas agnoscunt, atque ita cum summa virtute summam seruant humilitatem. Quod identidem fecisse Iobum legimus; quem multi eiusdem nobiscum naturæ hominem esse negassent, si non tot humanis miserijs circumscriptum vidissent. Quemadmodum igitur morbi illius naturæ humanæ, ita portentosa patientia auxilio diuino tribuebatur. Nihil ergo nobis metuendum est, ne supra vires nostras patiamur, vel enim in Iobo ostensam maximam diuinæ gratiæ suæ efficacitatem Deus nobis non negabit. Infirma sumus instrumenta, sed *omnia possum in eo, qui me confortat*: ait ille. Etiam misero calamo eleganter scribit præstans amanuensis. Diffide instrumento, ad eum respice, qui mouet instrumentum. Iobum intuere, Lazarum considera, non erat ijs caro ænea, eiusdem tecum naturæ fuerunt. Quod in istis potuit diuina gratia, in te potest. Itaq; Iacobus quoq; Apostolus Eliam Prophetam in feruore & fide orationis imitandum proponens ait: *Elias homo erat similis nobis passibilis*, eisdem miserijs & passionibus subiectus, quibus nos: Et sapiens: *Sum & ego*, ait, *mortalis homo similis omnibus*, & nihilominus optaui, & datus est mihi sensus, &c. Ad eundem modum, quicumque, quacumque obsidentur inualitudine, Iobi patientiam constantiamque sibi ante oculos ponant: eandem omnes cum illo habemus naturam, idem pati, paria sentire possumus, & ex parte nonnumquam sentimus; sed possumus eadem quoque virtute superare: quia eiusdem quoque gratiæ sumus capaces, dummodo nos velimus ad eandem quoque obtinendam animare. Homines sumus, homo fuit & Iob,

X.

Psal. 72. 28.

Phil. 4. 19.

Iac. 5. 17.

Sap. 7. 1. 7.

homo